



Venerabili Fratri

MARIO HENRICO DELPINI

Archiepiscopo Metropolitae Mediolanensi

*aureum ordinationis presbyteralis iubilaeum celebranti, fidelem
Pastoris missionem ipsi commissam apud illustrem atque antiquissimam
Sedem Mediolanensem studiosissime exercitam fraternae Nostrae caritatis
et grati animi officiis gratulamur ac probatam sollicitudinem evangelici
nuntii in operibus firmiter et suaviter testificandi, qua assiduo sapientique
ministerio pro Christo eiusque Ecclesiae bono enisus est, plebem Dei
caritate praeveniens, verbo et litteris nutriens, sacramentis reficiens,
sanctorum vestigia Patrum persequens. Dum ei, apostolici operis sui
maturis fructibus onusto atque cleri et christifidelium insignis Ecclesiae
Ambrosianae benevolentia aestimationeque circumdato, sensus gratitudinis
et optima omnia expromere cupimus, caelestium videlicet gratiarum pignus,
intercedentibus Beata Maria Virgine ac s. Ambrosio, Apostolicam Nostram
Benedictionem libentissime elargimur.*

Ex Aedibus Vaticanis, die V mensis Iunii, Anno Sancto MMXXV.

Les PP. XIV